

riam sententiam sustinentes in censuram vocare, vel dictis perstringere ullo modo audeat, quæ quidem omnia vos latere existimo. Nunc autem pro munere quod sustineo, certiores vos hisce litteris factos volui, suam Sanctitatem, nuper strictè præcepisse, ne quis presumat typis emulgare opus ullum, seu quodque scriptum, quod ad prænominatam questionem, directè vel indirectè respiciat, ne quidem sub prætextu commentandi in S. THOMAM. Si quis tamen huiusmodi lucubrationes aliquas imprimi cupiat, illas prius Romæ, à sacrâ uniuersali Inquisitione examinandas transmittat. Vestrarum itaque erit partium sedulo curare, ut in ista Vniuersitate Sanctitatis suæ mandatum seruetur, ac debite executioni demandetur. Interea Dominaciones vestras diuine custodiæ commendo. Bruxellis 4. Ianuarij 1612.

DD. vestrarum amantissimus & studiosus GUIDO Archiepiscopus Rhodiensis Nuntius.

Ex quibus haud dubium esse potest, quin decretum Pontificium generale sit, & ad omnem, quæ de auxiliis tractet, sententiam, non verò ad vnâ aliquam particularem pertineat. Vnde & in Eminentissimi D. Cardinalis, Burghesij ad P. Franciscum Suarez epistola 26. April. anno 1617. data, sic ipse de quodam eius volumine scribit: *Quod ad impressionem libri de Gratia pertinet, nulla propter doctrinam orta est difficultas; existimat enim sua Sanctitatem non discrepaturam ab eruditione & doctrina, tot librorum dudum in lucem à se editorum, qui omnium acclamatione excepti egregiè sustinent nomen & famam quam adepti sunt; sed omnis emanauit difficultas, ob qualitatem quæ inibi disputatur, materię, de qua ne alij etiam agerent, qui de ea scripserant, efficaciterque pro facultate imprimendi insisterant, grauissimis de causis pro nunc non modò cautum, sed strictum vetitum fuit.*

Neque his repugnare non paucos hac de materia differentes libros seu tractatus ab an. 1612. & deinceps in lucem prodijisse. Vtrum enim Authores illorum priuilegio Sedis Apostolicæ (quod ex libris ipsorum non apparet) muniti sint: An absque Sanctitatis suæ licentia auli fuerint eos prælo mandare: an decretum Romanum in eorum notitiam non peruenerit, nos nescimus, ipsos interroga, ætatem habent, ipsi de se loquantur. Nostri propositi est, non aliorum, sed proprij facti reddere rationem.

Cupientes igitur, sicut veros Ecclesiæ filios decet, ut in reliquis, ita & in præsentī materia Sanctissimo Domino Pontifici Romano reuerentiam pariter & obedientiam præstare, nolimus nostrum in primam partem Commentarium (tametsi & frequentissimè & instantissimè à compluribus uergeremur) in lucem emittere, nisi Apostolica Sede prius consultâ, & iuxta eius præscriptum.

Quocirca Ill. mo. D. Archiepiscopo Salernitano per Belgium Nuntio Apostolico interueniente, num imprimi posset, rogauī. Ad quam petitionem Bruxellis 4. Julij an. 1625. rescriptum mihi fuit ab eius Secretario, Domin. Millinum Cardinalem Eminentissimum per litteras sub die 15. Maij datas indicasse, *Postquam in S. Congregatione S. officij lecta fuissent litteræ præfatæ Ill. mo. Salernitani, & libellus D. V. quo in stat scire an imprimi posset Commentarius à D. V. scriptus super prima parte D. V. THOMÆ, ac omnia in dicta S. Congregatione coram Sanctissimo maturè considerata; suam Sanctitatem, inherendo decretis alijs de super factis, desiderare ut præfatum opus Romæ videatur, antequam in lucem*